

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

De gradibus nostrae salutis: atque in primis de Gratia Dei: in ea verba Icsaiae
Cap. 4.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561

Stat igitur firma conclusio: Ex libro vitæ neminem, qui ibi scriptus sit à Deo ante mundi constitutionem, expungi posse. Nunc addo: Neque quempiam, præter eos, qui in eo scripti sunt ante mundi constitutionem, posse eo in libro conscribi. Clausus est liber, obfirmatusque signaculis: in die iudicij aperietur, ut qui scripti sunt legantur.

Augustinus de Corrupt. & Gratia cap. 13. Hæc de ijs loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei: quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.

At Deuter. 1. Dominus Deus noster addat ad hunc numerum multa millia: ubi Glossa ait, Ad hunc numerum, id est, definitum apud Deum: Novit qui sunt eius, qui numerat multitudinem stellarum.

Respondeo: non loquitur de numero prædestinatorum, sed de numero populi, id est, eorum qui in fœdere Dei num erabantur, secundum præsentem iustitiam, non secundum æternam prædestinationem. Ac de secunda Quæstione satis.

Ad Quæstionem tertiam: Si liber vitæ est præscientia diuina eorum, qui ad vitam sunt conscripti, id est, electi: Deus autem non solum præsciuit electos, sed etiam reprobos, qui & quot essent damnandi: Cur igitur in Scripturis non statuitur etiam liber mortis, seu illorum, qui ad mortem sunt destinati?

Respondeo, Metaphora, iuxta quam præscientia electorum dicitur liber vitæ, non fert, ut præscientia reprobatorum appelletur liber mortis: apud nos enim non consueverunt unquam conscribi, nisi illi qui eliguntur, non autem illi qui reiiciuntur. Exempla habes in militia, & in senatoribus. Cum Imperator aliquis exercitum colligit, non solet conscribere nisi eos, qui eliguntur in milites: reliqui non scribuntur. Itacum colligitur Senatus, illi tantum conscribuntur, qui in Senatores eliguntur: reliqui ciues minimè. Ita etiam apud Deum, non dicuntur scripti, nisi illi qui sunt ad vitam electi: reliqui in sua morte finuntur, negligunturque.

De gradibus nostræ salutis: atque in primis de Gratia Dei: in ea verba Iesaiæ Cap. 4.

In die illa erit germen Domini, &c.



DIXIMVS, in hac promissione summam & gradus salutis nostræ contineri. Quorum primus est, ipsa gratia Christi, seu gratia Dei in Christo: Secundus, prædestinatio, seu conscriptio ad vitam æternam: Tertius, vocatio ad Christum & ad sanctitatem. Quartus, iustificatio, seu remissio peccatorum, ablutio à sordibus: quam consequitur sanctificatio & reformatio. Quintus, ipsa perpetua Dei gubernatio: quam consequitur æterna pax, vita, glorificatio.

Nunc, ut de singulis capitibus quàm breuissimè aliquid dicamus: dicendum primum est de gratia Dei in Christo, eatenus tantum, quatenus facit ad hos gradus explicandos.

Gratia (quod ad eius notationem attinet) ita propriè appellatur, eo quod gratis detur: ut Augustinus in Epistola ad Sixtum presbyterum, & alibi sæpius docet.

cet. Et hæc notatio conuenit omnibus gratijs Dei: dantur enim omnes gratis. Nam quod Augustinus ait gratiam ita appellari duas ob causas, tum quia gratis datur, tum quia gratos facit, non conuenit hoc gratiæ omni: vt gratiæ prophetiæ, linguarum, gratiæ sanandi, & alijs, de quibus 1. Cor. 12. Iccirco vera huius vocis generatim acceptæ etymologia est, quia gratis detur. Rom. 11. Sic ergo etiam in hoc tempore reliquæ secundum electionem gratiæ Dei, saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia: id est (vt Augustinus optimè interpretatur) Gratia non est gratia vlllo modo, si non est gratuita omni modo. Idem Tom. 7. de Natura & gratia cap. 4. Hæc igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur: propter quod etiam gratia nominatur. Hæc de notatione.

1. Gratia Dei (quantum ad præsentem explicationem attinet) accipitur bifariam. Primò, pro fauore beneuolentiaque Dei æterna, qua nos in Christo dilexit: & à qua permotus fuit, vt nos ad æternam vitam eligeret, redimeret, vocaret, iustificaret, glorificaret. Sic solemus fauorem principis, & beneuolentiam qua nos complectitur, gratiam principis appellare: & illum esse in principis gratia, cui princeps fauet, & quem princeps diligit. Ita gratia Dei hoc primo dicitur modo. Et hoc pacto gratia in Deo est, in nobis tantum eius cognitio & sensus. de hac Rom. 5. Tit. 2. Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei, omnibus hominibus. Rom. cap. 5. Iustificati per gratiam ipsius: id est, fauorem & beneuolentiam. Item: Multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnus Iesu Christi, in plures abundauit. Hæc gratia est amor ille gratuitus, quo nos dilexit ab æterno Deus: de quo Rom. cap. 9. Iacob dilexi, Esau odio habui. Duplex enim amor Dei. Vnus quo omnia quæ condidit diligit: de quo Sap. 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: id est, omnibus benefacis. Sic etiam reprobos diligit: omnibus enim benefacit. Alter amor est, quo solum electos diligit: de quo Rom. cap. 9. Iacob dilexi, &c. Hanc gratiam dedit nobis ante tempora æterna: sed manifestata est postea in tempore, tum cum promisit, tum maximè cum dedit Christum. 2. Timoth. 1. Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna, manifestata autem nunc per aduentum Saluatoris nostri: id est, ab æterno diligebat nos Deus in Christo: sed amorem hunc non nouimus, nisi tum maximè cum venit Christus, & se ob salutem nostram venisse dixit, & patefecit quòd Deus Pater ob nimiam charitatem, qua dilexit nos, Filium suum miserit in mundum. Hæc est prima significatio nominis gratiæ. Et hæc gratia, causa est & fons aliarum gratiarum omnium.

2. Secundò accipitur gratia pro huius primæ gratiæ effectis, seu donis, quæ Deus ob suam gratiam & beneuolentiam in nos confert. Et solent vocari dona, & verò etiam gratiæ: vt gratia regenerationis, gratia fidei, vita etiam æterna gratia dicitur. Sed hæc duplicis sunt generis.

Quædam gratiæ seu dona sunt, quæ nobis donantur ad salutem nostram, & nostrum bonum: qua de causa, gratiæ etiam gratum facientes appellantur, vt Gratia fidei, charitatis, regenerationis, vita æterna. Et hæc gratiæ non verè dantur, nisi electis. Fides enim vera & viua, initium est reliquorum huius generis donorum in nobis. Hæc autem est tantum electorum. Acto. Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Tit. Fides electorum dicitur. Quædam dantur ad aliorum salutem: vt est gratia loquendi linguis, gratia prophetandi, de quibus 1. Cor. 12. Hæc dantur etiam reprobis: sed ad aliorum, id est, electorum salutem, ad Ecclesiæ Christi vtilitatem, & instaurationem Sanctorum. Qua de causa, gratiæ tantum gratis datæ vocantur.

At,

At, si dantur etiam reprobis, quomodo igitur semper proficiuntur hæ secunda à prima illa quæ est dilectio æterna? Vtique: sed à gratia & favore illo, non erga illos quibus dantur: sed erga illos, in quorum salutem, etiam repro- bis dantur.

Modò quæ gratia est illa, quam (iuxta doctissimi interpretis sententiam) intelligimus nomine germinis Domini? Possumus intelligere vtramque, & be- neuolentiam ac favorem Domini: & eius effecta omnia, ac dona, tam quæ ad no- stram, quàm quæ ad aliorum salutem faciunt. Hæc enim copiosissima tum fuerunt in Apostolis, reliquiis Israël: tum erunt in aliis reliquiis, quæ conuertentur in fine sæculi. Sed in primis intelligimus gratiam, id est, favorem & beneuolentiam Dei. Hæc enim vndiquaque germinat & relucet, si quis donatus fide eam contemplari possit. Quid enim è terra, cum tot vberes fructus affert: quid è mari, vnde tot piscium genera in nostram vtilitatem: quid è cælo, è stellis, denique è creaturis o- mnibus relucet, nisi hæc æterna erga nos electos Dei beneuolentia & fauor? Hæc igitur gratia, iure germen vocatur: & fructibus terræ, qui vndiquaque pullulant, propter sua effecta comparatur.

Hanc autem Dei gratiam in Christo, dico fontem esse, vnde salus nostra sca- *Tota sa-* turit, & quæcunque attinent ad salutem nostram profecta sunt: Imò est initium, *lus ex gra-* medium, & consummatio salutis nostræ: ita vt sine hac, nulla ratione haberi pos- *tia.* sit salus, & vita æterna. Quod verissimum esse, hac inductione fiet perspicuum. Ne- *Electio.* mo potest saluari, & vitam æternam consequi, nisi sit ad illam prædestinatus & e- lectus. Regnum enim Dei non dabitur nisi illis, quibus paratum est à constitutio- ne mundi: Matth. 25. Venite benedicti, possidete regnum quod vobis paratum est. Item Christus: Non est meum (inquit) dare vobis, sed quibus paratum est à Pa- tre meo: At vnde nostri electio? seu vnde motus Deus, vt nos præ alijs ad vitam æternam in Christo elegerit? num ex præiudiciis operibus nostris? Minimè. Exclu- dit hoc passim Scriptura, Rom. 9. Antequam quicquam boni aut mali fecissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocan- redictum est, Maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau odio habui. Non ex operibus: scilicet neque quæ fecissent, quia nondum nati: ne- que quæ ipsi suis viribus erant facturi, quia hæc omnia peccata: neque quæ factu- ri ex gratia Spiritus sancti, quia præterquam quòd & hæc ob carnis contagionem & imperfecta & contaminata sunt, cadunt etiam sub prædestinationem, & sunt eius effecta: Ephes. Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit vt in *Ephes. 2.* illis ambulemus. Ergo non ex operibus est prædestinatio: sed vnde? Ex gratia, ex favore, ex amore, quo Deus in Christo nos ab æterno est complexus: seu ex gratui- ta sua erga nos bona voluntate & *εὐδοκία*. Ab hac enim adductus fuit Deus, vt præ alijs nos eligeret. Finis verò fuit, amor suæ gloriæ: vt patefieret eius bonitas, iusti- tia, misericordia, amor: & ita laudaretur Deus, Ephes. 1. Elegit nos in Christo, in se- se, iuxta beneplacitum voluntatis suæ (en vnde motus Deus) in laudem gloriæ gra- tiæ suæ (en causam finalem) 2. Timoth. 1. Deus saluos nos fecit, & vocauit vocatio- *2. Tim. 1.* ne sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gra- tiam (id est, propositum gratuitum, quod ab amore erga nos profectum est) quæ data est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna, sed palàm facta est nunc per ap- paritionem seruatoris nostri Iesu Christi.

Manifestum est igitur, gratiam Dei, seu eius erga nos favorem & amorem in Christo, gratuitamq; erga nos bonam voluntatem, causam fuisse, vt nos præ alijs ad vitam æternam elegerit. Quare gratia fons est salutis nostræ.

Scio

Scio prædestinationem & electionem nostri, esse fundamentum salutis nostræ: Sic enim Paulus 2. Timoth. 2. vocat: Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sint sui: Sed cum discrimen sit inter prædestinationem seu electionem, & inter ipsam causam electionis: dico, gratiam hanc, seu gratuitum Dei propositum, & voluntatem atque amorem, causam esse electionis, itemque initium salutis nostræ.

Christi beneficium.

Nemo potuisset saluari, nisi Christus venisset, & suo sanguine pro peccatis mundi, diuinæ iustitiæ satisfecisset: Actorum 4. Non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri: At vnde Christi ad nos aduentus, & passio, satisfactio & omnia bona? Ex gratia, seu ex æterna erga nos Dei dilectione: Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret,

Vocatio.

Nemo (adultus) potest seruari, nisi ad Christum, eiusque Euangelium vocetur: & quidem efficaciter: At vnde hæc vocatio? Ex gratia. 2. Timoth. 1. Vocauit nos vocatione sua sancta, secundum propositum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora æterna: Vnde & Paulus Galat. 1. se vocatum dicit à Christo, per gratiam suam.

Fides.

Nemo potest saluari, nisi fidem habeat in Christum, qua assentiatur vocanti: vel saltem Spiritum fidei. nam & pueri Spiritum fidei habeant, si debeant saluari, necesse est: cum vnusquisque iustus sit ex sua fide, & ex ea viuat: At vnde fides? Ex gratia. Ephes. 2. Gratia salui facti estis, per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.

Bona voluntas.

Nemo (adultus) potest saluari sine bona voluntate, qua velit in Christum credere, & velit quod in Euangelio offertur amplecti, & velit seruare mandata. At vnde hæc voluntas? Ex gratia. Præparatur enim voluntas à Domino: Item Phil. 3. Deus operatur in nobis velle & perficere, pro sua bona voluntate, id est, gratia. Augustinus de Gratia & libero arbitrio, ad Valentinum cap. 16. Certum est nos mandata seruare, si volumus: sed præparatur voluntas à Domino. Item, certum est nos velle, quum volumus: sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est Psalm. 36. à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.

Iustificatio.

Nemo potest seruari, nisi iustificetur, & iustus fiat: Psalm. Oculi Domini super iustos: vultus autem Domini, id est, ira, super facientes mala: At vnde iustificatio nostra? Ex gratia. Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius.

Regeneratio. Sanctificatio.

Nemo potest saluari, nisi per Spiritum regenerationis regeneretur & sanctificetur: Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. At vnde Spiritus quo regeneramur? Et vnde hæc sanctificatio? Ex gratia: Ioel. 2. Effundam ego (ait Dominus) de Spiritu meo super omnem carnem: Tit. 2. Quem effudit in nos abundè: Ephes. 1. Prædestinauit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius: elegit inquam secundum propositum voluntatis suæ.

Charitas.

Nemo (adultus) potest saluari, sine charitate in Deum & proximum. 1. Cor. 16. Qui non diligit Dominum Iesum, sit anathema: 1. Iohan. 2. Qui non diligit fratrem, manet in morte. At vnde hæc charitas? Ex gratia à Deo. Is enim sua dilectione, qua nos prius dilexit, parit in nobis dilectionem, qua vicissim nos eum diligamus. 1. Iohan. 4. Non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos, misit Filium suum. Huc & illud Rom. 5. Diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Augustinus: Amor quo diligimus Deum, non est nisi à Deo. 1. Iohan. 4. Charitas ex Deo est.

Bona opera.

Nemo potest saluari, nisi (si per ætatem licet) bonis etiam operibus studeat, inque illis ambulet. Hæc enim sunt testimonia fidei; & prædestinati in iis ambulant: vnde Ephes. 2. Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit

vt in

vt in illis ambulemus. At vnde bona in nobis opera? Ex gratia: Ezech. 36. Dabo Spiritum meum in corda eorum, & faciam vt ambulent in præceptis meis.

Nemo potest saluari sine continua peccatorum (quotidie enim labuntur sancti) remissione: At vnde hæc remissio peccatorum perpetua? Ex gratia: Esa. 43. *Remissio* Ego, ego, qui deleo iniquitatem, propter me: id est, propter meam gratiam & voluntatem. *peccatorum.*

Nemo potest seruari, nisi perseueret in fide, in bonis operibus, in dilectione: denique nisi perseueret in Christo: Matth. 24. Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. At vnde hæc perseuerantia? Ex gratia Dei. Ierem. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me: Philip. 1. Vobis donatum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro illo: Ecce perseuerantiam. *Perseuerantia.*

Quid ipsa vita æterna? vnde? Ex gratia datur. Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna.

Pertinet huc pulcherrima Fulgentij explicatio, quam de effectis gratiæ habet ad Monimum lib. 1. pag. 8. Ipse (Deus) donat gratis indigno gratiam, qua iustificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, vt præueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordia bonum quod vult, facere valeat. Vtrumque autem prædestinando Deus præparauit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi disposuit, vt eius voluntas in opere nouo noua esse non possit. Donat etiam gratiam digno, in retributione mercedis æternæ, vt scilicet, siue cum impium pie iustificat, iustus: (quia de ipso Apostolus dicit: vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu.) seu cum iustum iuste glorificat, pius: (Quia quos iustificauit, illos & glorificauit.) Eadem sit operatio gratiæ, quæ meritum hominis bonum, & initiat ad iustitiam, & consummat ad gloriam: Primò inchoans in homine voluntatem bonam, deinde eandem voluntatem adiuuans inchoatam, vt eadem voluntas, & diuino dono bona sit, & diuino adiutorio malam superare concupiscentiam possit, & Deo perficiente talis postmodum ipsa voluntas sit, vt malam concupiscentiam habere non possit: Ac sic in præsentī vita gratiæ adiutorio infirmitati non cedat, in futuro autem, gratiæ beneficio, infirmitatem non habeat: Et nunc recreetur continuo iuuamine medicaminis, tunc verò fruatur æterna plenitudine sanitatis. Hæc autem Deus, sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiam, sicut prædestinauerat, facit.

En quo pacto omnia, tum quæ ad salutem nostram faciunt, & necessaria sunt, tum ipsa salus, omnia inquam sunt ab hac Dei gratia, seu fauore, & dilectione qua nos ab æterno in Christo complexus est: Ab hac inquam gratia, quæ à Iesaiæ germen Domini, & fructus terræ appellatur. Hæc enim est germen, vnde omnes ij fructus, quos recensui, nascuntur. Iure ergo dixi, hanc esse fontem, vnde tota nostra salus: esse principium, medium, & consummationem salutis nostræ. Quare non ab re Iesaias in hac diuina promissione, quam de Ecclesiæ salute & felicitate facit, primo loco posuit gratiam Christi. Proinde tota nostra salus est gratuita: & quia est gratuita, ideo certa: & quia certa, ideo debemus liberati omni timore & metu, læto animo & hilari conscientia continenter gratias agere tanto cœlesti Patri in Christo, debemusque Deo cum Dauide dicere: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nihil restat, nisi quod sequitur: Calicem salutis accipiam, & nomen Domini inuocabo. Nomine inuocationis, totus Dei cultus intelligitur. Debemus ergo Deo fidere, sperare in Deum, diligere Deum: ad eius voluntatem, nostram conformare: mandatis eius implendis studere: & ad quæuis tormenta, propter Domini nostri Iesu Christi seruatoris nomen, æquo animo ferenda, nostra corda præparare. Hic est enim finis tot tantorumque eius erga nos

beneficiorum. hic est finis, cur Deus gratuitam esse voluerit, ideoque certam nostram salutem, quemadmodum Zacharias in Cantico cecinit: ut scilicet de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus nostris. Faxit Dominus, ut ita à nobis fiat.

De Praedestinatione.

*Quosdā
esse electos: quos-
dam re-
probos.*



QUOD verò ad alterum nostrae salutis gradum, hoc est, ad praedestinationem attinet: etsi Deus omnes homines amat, quosdam tamen, & non omnes, ad salutem aeternam esse electos ac praedestinos, manifestum fit ab ipsa etiam dissimilitudine, quae in rebus omnibus à Deo conditis conspicitur. Quanquam enim omnia, quae sunt, Deus ipse condidit: ideoque omnia etiam diligit (sicut legimus, in Sapientiae libro: Diligis o Deus omnia quae sunt, & nihil eorum odisti, quae fecisti) diuerso tamen amore à Deo diligi, inde colligere est, quod diuersas eorum conditiones esse voluit: quemadmodum cernimus, longè aliam conditionem & virtutem communicatam esse plantis, quàm lapidibus: & aliam animalibus, quàm plantis: longè verò diuersam hominibus, quàm brutis. Hæc certè diuinarum benedictionum diuersitas, diuersum esse Dei erga res à se creatas amorem, apertè demonstrat. Ita, tametsi omnes homines diligit, cum omnium etiam sit creator, rector, & Dominus: non eodem tamen amore omnes ex æquo prosequitur: id quod diuersa, quam inter ipsos esse voluit, conditio apertè conuincit. Cum enim omnes ex æquo peccarint, alios tamen ita diligit, ut à peccatis per Christum liberet, ut ab inferis eripiat, ut donet fide in Christum, ut ex filijs Adæ Spiritu sancto regeneret in filios Dei, ut in aduersis donet patientia, ut faciat ambulare in præceptis suis, ut eis det Spiritum timoris, quo non recedant à se: ut denique donet vitam aeternam. Alios verò ita diligit, ut tamen nihil harum rerum diuinarum & cœlestium illis impertiat: sed in suis peccatis, in suaque corrupta natura, ideoque in manu Sathanæ, in morte, in inferno illos deferat.

Dominus Iesus Matth. 24. miram diuersamque fore hominum conditionem in aduentu suo ad iudicium, docet ijs verbis: Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur, altera relinquetur: duo in lecto, alter assumetur, alter relinquetur. Sed certè diuersa hæc hominū conditio, post conditum orbem quotidie spectatur. Nam præterquam quod duo peccant, homo & angelus: & vnus, id est, homo assumitur a peccato: alter, id est, angelus in peccato relinquitur: duo etiam sunt primi fratres, Abelus & Cainus: & vnus assumitur in gratiam, vitamque aeternam: alter relinquitur in peccato, morteque aeterna. Duo etiam fratres Isaacus & Ismael: vnus assumitur, alter relinquitur. Rom. 9. Neque omnes qui sunt semen Abraham, ij filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen. Duo vterini gemelli, Iacob & Esau: vnus assumitur in gratiam, & diligitur à Deo, Iacob: alter relinquitur, & odio habetur, Esau: vnde illud: Iacob dilexi, Esau odio habui. Duo eunuchi peccant in suum regē Pharaonē, propter quod ambo etiam in carcere conijciuntur: sed inde vnus ad pristinū officium assumitur, alter relinquitur & tandem in furcam adigitur. Duo regna Iuda & Israēl, ambo propter sua scelera in captiuitatem ducuntur: sed inde tamen vnum assumitur, nimirum Iuda: alterum relinquitur, Israēl. Tempore Christi duo erāt populi, Gentilis & Hebræus: vnus assumitur, Gentilis, ad gratiam Euangelij: alter (id est, maxima Iudæorum pars) relinquitur in sua cæcitate, & in peccatis. Vnde Christus: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Item: Multi venient ab oriente, &c. filij autē regni ejicientur in tenebras